

cilio Toletano VIII, celebrato sub Reccisvintho principe, æra 691, id est, anno Domini 653, quæ confessio habetur in titulo primo illius Concilii, et ut ibi dicitur: « In sacris missarum solemnitatibus concordia voce profitebatur, et dicebatur. » Erat ergo hoc jam in Hispania tunc receptum, et verisimile est non a se incœpisse, sed traditum accepisse. Cur ergo non fuit licitum ab eadem Ecclesiæ potestate addere in symbolo ista verba, ut magis explicaretur mysterium hujus processionis Spiritus sancti, præsertim excitato hoc dubio et crescente hoc errore? Cur vero id Ecclesia non fecerit in aliis rebus quas de fide definivit? Nostrum non est de Ecclesiæ facto judicare, sed id quod decrevit reverenter suscipere, et ipsa definivit in supradictis verbis rationabiliter id factum esse. Certe in symbolo fidei non omnes res quæ de fide sunt contineri debent: sic enim cresceret in immensum, cum tamen symbolum breve esse debeat, et ea præcipue continere quæ circa ipsum Deum ac mysterium Trinitatis, et incarnationis versantur. Unde in iis præcipue articulis adjicere aliquid Ecclesia consuevit, quæ ad ipsas Personas divinas pertinent, ut circa Patrem addidit quod sit creator visibilium, et invisibilium propter hæresim Manichæorum, qui negabant Deum esse creatorem rerum corporalium; circa Filium quod sit consubstantialis Patri, et genitus, non factus contra Arium: circa Spiritum sanctum quod ex Patre procedat, et illi sit coadorandus contra Macedonium, et quod ex Patre Filioque procedat contra Græcos; cum tamen multa ex his in symbolo primo Apostolorum, aut Nicæno non habeantur. Quod specialius in hoc articulo faciendum fuit, quia ex hoc ipso quod non inveniretur expressum in symbolo, Græci faciebant argumentum

quod non ita sentiendum esset, negabantque posse id ab Ecclesia in symbolo poni: debuit ergo Ecclesia suam in hoc ostendere potestatem, nec Græcorum cedere argumento vel querelæ. Quod autem in Ephesino, et Chalcedonensi Concilio fuerit anathema impositum mutantibus symbolum, seu formulam fidei, id factum est vel contra eos qui privata auctoritate id facerent, vel etiam qui contrarium ipsi fidei adjicerent: alias quomodo Concilium generale potuit prohibere ne ab alia simili potestate qualis est alterius Concilii generalis, vel a confirmatore Concilii generalis, qui est papa id non possit fieri, cum par in patrem, et multo minus in superiorem, potestatem non habeat? Similiter id quod majoris explicationis gratia symbolo adjicitur, non mutatio fidei est, sed explicatio.

XLII. Secundo fundamento satisfecit Concilium Florentinum in litteris unionis dicendo, quod: « Latini affirmaverunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Filio procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons, et principium totius deitatis, scilicet Filii, et Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed unum tantum asserant esse principium unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerant. » Ita Concilium, juxta quam doctrinam definivit Spiritum sanctum a Patre, et Filio tamquam ab uno principio, unicaque spiratione procedere, et quod hoc ipsum quod est Spiritum sanctum a Filio procedere ex Patre habet, a quo æternaliter genitus est. Quare ly procedere ex alio, non dicit, quod illud principium ex quo procedit, non possit etiam ex alio esse, cum vere sit principium de principio, et quidquid

## ARTICULUS IV.

*Utrum Spiritus sanctus ex sua characteristicâ proprietate petat procedere a duabus Personis, et unico principio spiratore?*

Cum in unoquoque producente inveniatur, et concurrat principium quod, seu suppositum subsistens, et principium quo, seu forma, aut virtus producendi, hoc quoque in processione Spiritus sancti certum est inveniri. Nam, et Spiritus sanctus procedit a subsistente principio illi opposito relative, et virtus spirativa qua producitur in illo principio datur. Cæterum cum in hac Spiritus sancti processione inveniatur duplex suppositum spirans, et mutuo amans, scilicet Pater, et Filius, inveniatur autem una relatio spirationis activæ, qua illa duo supposita constituuntur unus spirator; inveniatur etiam una voluntas, seu virtus spirativa ut principium quo, difficultas est, tum circa ipsa supposita spirantia, tum circa ipsam relationem spiratoris, seu circa hoc principium quod dicitur spirator, tum circa ipsam virtutem spirativam, seu principium quo spirandi. Et est triplex difficultas.

I. Prima, an requirantur duæ Personæ amantes seu spirantes ad productionem Spiritus sancti solum ut conditio requisita tenens, se ex parte subsistentiæ seu subsistentiarum in Deo, an ut pertinens ad rationem formalem ex parte ipsius amoris sic spirati. Cum enim ad producendum aliquid requiratur, et conditio tenens se ex parte subsistentiæ, quia suppositum est id quod producit, et formalis ratio per se influens in quarto modo per se respectu rei procedentis, punctus difficultatis est an duo supposita, seu duæ Personæ Pater, et Filius requirantur solum ex parte

vere principium est, hoc dicit, quod id quod principiatur, et originatur ex illo procedat, et sit: præsertim cum illud ipsum principium Patris ex quo procedit Spiritus sanctus idem sit quod in Filio, licet a Patre ei communicatum, et ita si Spiritus sanctus procedit ex Patre, etiam procedet ex Filio.

XLIII. Nec ex hoc quod Pater habeat vim spirativam quam communicat Filio, sequitur quod prius origine sit ab ipso Spiritus sanctus quam a Filio, eo quod illam vim spirativam quam habet Pater non habet nisi in actu secundo, et cum suo fructu, et termino producto, qui est Spiritus sanctus; ergo pro illo priori quo est in Patre vis spirativa, etiam est productus Spiritus sanctus, et sic jam intelligitur esse, antequam producat Filius.

Sed respondetur quod in re, et pro prioritate in quo, totum est simul, scilicet virtus spirativa in Patre, et in Filio, et spiratio ejus ut a Patre, et Filio tamquam ab unico principio spiratore. Et hoc sufficit ut actus purus spirativæ virtutis nunquam sit sine fructu, et actu secundo producendi Spiritum sanctum. Pro prioritate autem originis qua Pater generat Filium communicat illi virtutem spirativam, quæ notionaliter, et respectu Personæ est potentia, et non exercetur notionaliter a solo Patre, sed a Patre, et Filio; essentialiter autem est in actu secundo, et in actu puro, et sic a Patre communicata est Filio, quia totum hoc exigit vis spirativa ex sua perfectione notionali, ut communicetur a Patre, et non exerceatur notionaliter, nisi in duobus suppositis, ut articulo sequenti dicitur in fine.



conditionis, quæ tenet se ex parte suppositi, et mere concomitanter se habeant, sicut ad productionem creaturarum tres Personæ non concurrunt ut ratio per se creandi, quia Deus creat ut unus, et æque bene crearet, si tantum esset unum suppositum, sicque concomitanter solum se habent illæ tres Personæ ad creandum: an vero duæ illæ Personæ Pater, et Filius speciali aliqua ratione requirantur per se, et non mere concomitanter ad productionem Spiritus sancti.

Secunda difficultas est circa spirationem, seu spiratorem, an sit principium subsistens spirandi, an duæ Personæ possint dici duo spiratores absolute, an unus tantum spirator, qui sit individuum subsistens, et relatio ipsa per se spirans: et quid nomine spiratoris includatur.

Tertia difficultas est circa ipsam virtutem spirativam, seu principium quo spirandi quid importet, et pro quo supponat, pro relatione an pro essentia, quæ difficultas est communis ipsi, et potentia generativæ, quæ infra sequenti disputatione tractanda est. Specialis vero difficultas est circa ipsam virtutem, et principium quo spirandi, an sit æque primo in Patre, et Filio, an prius origine in Patre. Alia vero difficultas restabat an processio Spiritus sancti sit voluntaria, licet non sit libera, sicut amor beatificus voluntarius est, et necessarius. Sed hæc non est magna difficultas, et sequenti disputatione generaliter inquiretur, an actus notionales voluntarii sint.

SPIRITUS SANCTUS PER SE QUARTO MODO  
PROCEDIT EX DUABUS PERSONIS.

II. Præsupposita fide, quod Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio

tamquam a Personis originantibus, et producentibus ipsum, ut venari possimus, et intelligere qua ratione requirantur ad talem processionem duæ istæ Personæ, oportet prius proponere, et explicare titulos quibus hæc processio petat pluralitatem Personarum spirantium.

Primus est, quia Spiritus sanctus procedit ut tertia Persona Trinitatis ex sua characteristicâ proprietate; et sic supponit duas Personas, non antecedentia durationis, sed prioritate originis, nec potest esse tertia Persona distincta a duabus primis, nisi procedat ab utraque, ut satis superque contra Græcos præcedenti articulo ostensum est. Ex hac ergo ratione procedendi ut tertia Persona distincta a prima, et secunda exigit procedere a duabus Personis.

Secundus titulus est, quia Spiritus sanctus procedit ut amor notionalis per voluntatem, sicut Filius per intellectum. Ex propria autem ratione sua amor supponit cognitionem: ergo amor notionalis cognitionem notionalem, cognitio autem notionalis nequit esse sine termino expresso, et producto, scilicet sine Verbo: per se ergo supponit amor notionalis ut principium sui Patrem exprimentem, seu dicentem, et Verbum expressum a quibus procedat amor, non tam ratione sui, quam ratione cognitionis ad amorem requisiti, et præsuppositi, quæ est cognitio notionalis; cognitio autem notionalis non stat sine duplici Persona, scilicet Patre dicente, et Verbo expresso, seu dicto.

Tertius titulus est, ratione subsistentiæ requisitæ ad producendum Spiritum sanctum, quia principium spirandi quod dicitur spirator, non est aliquod individuum subsistens per se, et seorsum a Patre, et Filio, sicut hic Deus, quia si esset ratione sui subsistens, esset subsistentia re-

lativa, ac proinde opposita aliis subsistentiis, quia esset persona; et sic ponerentur quatuor Personæ in Deo. Ut ergo principium illud spirandi reddatur subsistens, indiget duplici Persona, quia in una tantum Persona stare non potest, cum principium spirandi sit communicabile illis, et non oppositum alicui earum. Et præterea quia Spiritus sanctus refertur ad Patrem, et Filium: ergo per se requirit quod Pater, et Filius referantur ad ipsum.

Quartus titulus, et ratio propter quam petit duas Personas processio Spiritus sancti est, quia ipse amor quo spiratur, est amor mutuus, et amor amicitia, seu nexus duorum, ut communiter patres dicunt; et Pater quia amor amicitia est perfectior amore concupiscentia, et Deus est capax talis amoris, quia habet plures Personas, scilicet Patrem, et Filium qui notionaliter amare se possunt amore reciproco, et mutuo: ergo non est illi denegandus hic amor amicitia, qui maxime competit amori notionali, quia supponit plures Personas inter quas exerceatur.

III. Ex his rationibus propter quas attribuitur Spiritui sancto necessitas procedendi a duobus suppositis, omnes quidem habent aliquam conducentiam per se ad talem processionem, quæ sine dubio exigit quod sit a duabus Personis, quia in se procedit cum talibus conditionibus, quod necessario exigunt quod processio a duobus sit. Sed tamen non æque immediate, nec æque formaliter omnes requiruntur. Nam quod sit tertia Persona distincta a duabus, exigit quod procedat ab utraque, non propter ipsam formalem rationem, et peculiarem Spiritus sancti, sed propter communem rationem, quia nulla Persona distinguitur ab alia, nisi procedat ab illa, vel

alia a se. Quod vero sit notionalis amor Spiritus sancti præsupponit quidem notionalem cognitionem, quæ est cognitio dicens, et exprimens in Patre et consequenter Verbum dictum in Filio, sed quod præsupponat illas duas Personas ut elicientes illum amorem, et spirantes, non ex hoc immediate infertur, sed ex quadam conditione identice, et materialiter se habente, scilicet quia utraque Persona habet eandem voluntatem, quia consubstantialia sunt; non ex ipsa ratione formali amoris id petitur, quia etiamsi non procederet a Verbo, ut a Persona spirante, notionalis amor intelligeretur, id est, relative se habens, et procedens.

IV. Restat ergo ut videamus an propter ultimum titulum competat Spiritui sancto procedere a duobus suppositis: sic enim in quarto modo per se procedet ab illis, quia ex ipsa formali ratione amoris spirati id petitur, et non ratione alicujus conditionis adjunctæ vel materialiter tantum, et concomitanter concurrentis, sicut materialiter concurrunt tres Personæ ad creationem ad extra: et eodem modo se habebunt duæ Personæ, si solum concurrunt ut dantes subsistentiam naturæ: una enim sola sufficienter id faceret. In hac ergo parte Scotus in 1, dist. XII, qu. 1 tenuit Spiritum sanctum non petere hunc duorum suppositorum concursum per se formaliter, seu in quarto modo, sed quasi materialiter, et concomitanter, sicut se habent tres Personæ ad creationem, ad quam non requiruntur formaliter, et in quarto modo per se, quia Deus creat in quantum unus, non in quantum trinus, et tamen ipsæ tres Personæ creant ut personæ, et supposita subsistentia illius virtutis creantis. Cum Scotus sentit Durandus in 1, dist. XI, qu. III. Sequitur Bellarminus tomo primo,



lib. II de Christo, c. xxvii; Molina in hac quæstione xxxvi, art. iv, disp. v. At vero p. Arrubal hic disp. cxxx, licet in capite secundo supponat processionem Spiritus sancti exigere duo supposita, tamen in reddenda hujus rei ratione, in capite tertio recurrit non ad ipsam rationem amoris, ut unitivus et amicus est, sed ut notionalis: sic enim in quantum notionalis præsupponit cognitionem notionalem, quæ non nisi in duabus Personis inveniri potest, cum cognitio notionalis sit illa quæ procedit a Patre producendo, et exprimendo Filium; et quia Spiritus sanctus producitur ut amor subsistens, et terminus qui est Persona distincta ab aliis, ita etiam postulat voluntatem prius existentem in duobus suppositis, ut procedat tamquam distincta Persona ab illis. Et p. Suarez lib. x de Trinitate, c. vi hanc rationem propter quam processio Spiritus sancti petit plura supposita ad hoc reducit, quod Spiritus sanctus procedit ut dicens relationem ad Patrem, et Filium, nec habet aliquod principium productivum sui subsistens commune Patri, et Filio, sed immediatum subsistens productivum hujus processionis est utraque Persona. Quæ rationes tam Arrubalis quam Suarez non ostendunt ita immediate per se in quarto modo requiri duarum Personarum concursum ad processionem Spiritus sancti, nam etiamsi a solo Patre, et non a Filio procederet, ut Græci fingeant, vel a solo Filio, et non a Patre, adhuc notionalis esset ille amor, et notionali modo distinctus, quia adhuc Persona esset, et tamen non esset a duobus. Non ergo probatur quasi per locum intrinsecum, et in quarto modo per se requiri quod procedat a Filio ex eo præcise quod præsupponit cognitionem notionalem: potest enim illam supponere, et intelligi quod a solo Patre procedat quantum ex vi processionis, ut

notionalis sit, id est, personalis, et relativa. Similiter quod Persona Spiritus sancti sit distincta a Persona Patris, et Filii, et procedat ut terminus, et Persona subsistens, non arguit quod per se in quarto modo procedat a duabus Personis Patre, et Filio, quia licet de facto duæ Personæ sint, quæ reddunt subsistens ipsum principium spirandi, tamen non ostenditur quod etiamsi per impossibile non procederet a duabus Personis, sed ab una tantum, non sufficeret subsistere illud principium in una tantum Persona, ut produceretur Spiritus sanctus. Nec ad hoc ut procedat tamquam Persona tertia seu ultima in Trinitate ostenditur per se requiri quod procedat a duabus Personis, ex propria, et formali ratione personæ quia tertia est, nisi forte ex generali ratione quia distinguui non potest ab ea a qua non procedit, quod non est per se requirere in quarto modo, ex eo quod talis Persona est, procedere a duabus, quia etiam in sententia Græcorum, si solum procederet Spiritus sanctus a Patre, procederet ut Persona distincta, imo si per impossibile fingatur sic procedere, adhuc in sententia Scoti distingueretur a Filio: ergo non ostenditur contra Scotum exigere illam processionem Spiritus sancti quod a duabus Personis procedat, ad hoc ut distincta Persona sit, cum in suppositione Scoti, etiamsi non procederet nisi ab una, distincta foret. Quare istæ sententiæ Arrubalis, et Suarez valde inclinant in sententiam Scoti.

V. Oppositam ergo sententiam, nempe processionem Spiritus sancti per se, et in quarto modo exigere quod sit a duobus suppositis, simpliciter tenet S. Thomas in hac quæstione xxxvi, art. iv ad primum; et in I, dist. xi, qu. I, art. iv ad secundum ponit differentiam inter creationem, et spirationem, quod

creatio non petit tres Personas per se, spiratio vero petit duas. Et idem habet dist. xxix, qu. I, articulo ultimo ad II, et qu. x de potentia, art. II ad xv, ubi ex eo quod Spiritus sanctus sit amor mutuus, et nexus duorum dicit, quod a duobus suppositis debet procedere. Sequuntur communiter discipuli S. Thomæ, Cajetanus loco citato primæ partis, et ibidem Bagnez, Zumel, Nazarius, Ripa, Torres, Ferrariensis IV contra gentil. c. xxv; Capreolus in I, dist. XII, quæstione I; Vasquez hic disp. CL, c. II et alii plures quos citat, et sequitur collegium Carmelitanorum tract. VI de Trinitate, disp. xv, dub. v.

VI. Fundamentum S. Thomæ sumitur ex formali ipsa ratione amoris mutui, quæ ita essentialiter petit duorum suppositorum concursum, ut nullo modo nec fingendo casum impossibilem possit procedere ab uno. Et hæc formalis ratio est, quia ille amor quo procedat Spiritus sanctus est amor amicitiae mutuus, et quasi nexus duorum, sed non est mutuus ex parte actuum amandi, quia actus amoris unus est, et una virtus spirativa, unicaque relatio spirationis activæ: ergo esse mutuum, nexumque duorum solum habere potest ratione plurium Personarum, inter quas mutua, et reciproca ratio amoris esse potest. Minor certa est, cum in processione Spiritus sancti nec duplex actus amoris, nec duplex spiratio esse possit, quia Pater, et Filius unica virtute spirant Spiritum sanctum: ergo non restat unde sumatur pluralitas ad rationem mutui amoris requisita, et ad rationem amicitiae, et nexus duorum, nisi ex parte pluralitatis Personarum. Major est communiter recepta inter theologos traditurque ab Augustino VI de Trinitate, c. v et a Prospero in libro sententiarum, sententia cclxxi;

Richardo de S. Victore lib. III de Trinitate; Anselmo in monologio, c. XLVIII et LII; Bernardo in serm. III de pentecoste, et ab aliis pluribus.

Et ratio potest sumi ex eo, quia supposita distinctione Personarum in Deo species amoris amicitiae est ei possibilis, propter diversitatem Personarum amantium, licet voluntas sit una quæ non minuit, sed auget amorem amicitiae, cum illa sit perfectior amicitia, ubi magis concordantes sunt voluntates: illa ergo perfectissima erit, ubi fuerit voluntas. Unde amicitiae amor, semota in perfectione diversitatis in actibus nullam imperfectionem dicit ex qua repugnet Deo. Sed Spiritus sanctus procedit ex perfectissimo amore notionali, et personali: ergo si perfectissima species amoris, quæ esse potest, est amor amicus, et amicitiae, quando est inter Personas, videtur quod ex illo debet procedere Spiritus sanctus.

VII. Dices primo ex Arrubale, hanc rationem petere principium: nihil enim est aliud Spiritum sanctum esse nexum duorum, et amorem mutuum, quam procedere a duobus: ergo probare quod procedit a duobus, quia est nexus duorum, est probare idem per idem.

Dices secundo: Esto procedat ut amor amicitiae ad alterum, sufficit quod sit amor amicitiae erga ipsum Spiritum sanctum procedentem, non autem Patris, et Filii inter se: cum etiam amor amicitiae inter Patrem, et Spiritum sanctum sit: ergo bene potest salvari ista formalis ratio quod sit amicitiae, et inter duas Personas, et tamen quod sit procedens ab una tantum Persona, si autem amicitia illa inter Personam a qua procedit, et ipsum Spiritum sanctum qui procedit.

Dices tertio: Amorem illum habere quod sit nexus duorum in